

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

cxxxviii [i.e. vi]. Nec tamen Deus est causa peccati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

mento asseritur. Neq; à tempore, loco aliisq;
circumstantiis, utpote quæ indifferentes sunt,
ad quæcunq; ejusdem speciei individua; ergo
à Deo. Non determinat auté ille voluntatem
ad individuum, postquam illa determinaverit
se ad speciem actus, cùm determinatio dei ad
specie facta à creatura, & determinatio crea-
turæ ad individuum facta à Deo sit eadem
entitas; sed determinat illam antecedēter per
tale decretum: *velo hic & nunc concurrere cum*
Petro, *vel ad actum amoris A tantum*, *vel ad*
actum odii A tantum, *vel ad utriusq; omissionem*
A tantum, per quale decretum redundunt vo-
luntati omnia alia individua impossibilia.

VI. Concursus Dei in actu secundo est in-
distinctus ab operatione causæ secundæ, sive
Deus & creatura per eandem omnino actionem
influent in effectum. Dato enim, Deum
creaturis immittere præmotionē physicam,
insuper debebit in actu secundo simultaneū
concurrere ad effectum; alias immediate
non influet in illum; neq; tamen hic concur-
sus Dei distinctus ab ista prævia præmotione
est simultaneus distinctus concursus à con-
cursu creaturæ; alias concursus creaturæ, per
quem ipsa sola influit in effectum, non de-
pen-

penderet à Deo immediatè, quod in sententiam Durandi inclinat; vel si depédet à Deo, depédebit ab eo immediatè per suam entitatem, & consequenter effectus vi ejusdē actionis im̄mediate dependebit à Deo, adeoq; unus idemq; influxus in effectum est Dei & creaturæ. Nunquā igitur causa prima cooperans creaturæ, agit priùs prioritate causalitatis in effectum causæ secundæ, quām ipsa causa secunda, sed tantūm prioritate logica. Nequè actio creaturæ pendet à concursu Dei in actu secundo, sed à concursu Dei in actu primo. Estq; dependētia effectus à causa secunda ipsa dependentia effectus à causa prima. Cui non obstat, quòd necessarium sit effectui, dependere à causa prima, non item à causa secunda; nec enim etiam essentiale effectui est à Deo dependere hac numero dependentiâ. Eadem deniq; actio formaliter (utpote quæ est formalis determinatio) determinat Deum ad speciem, creaturam ad individuum, Deo efficiēter determinante creaturam ad individuum, & creaturâ Deum ad speciem: denominareq; potest Deum agere independenter à creatura, & creaturam agere dependenter à Deo, si eut denominare potest principium effectivū agens, passivum patiens.

VII. Non